

*Admodum Reverendo, Excellentissimo Clarissimoq;*

**VIRO,**

**DN. M. FRIDERICO  
VICCIO,**

**Ecclesiae Neapolitanæ**

**in Augustâ Vratislaviensium Republicâ**

**ad Spiritus S. PRÆPOSITO,**

**& PASTORI ad S. Bernhardini præclarè Merito,**

**Consistoriiq; ASSESSORI *Gravissimo,***  
cum

*Clarissimâ Florentissimâq; Matrônâ,*

**MARTHA MEICHSNERIA,**

*Viri Spectatissimi Integerrimiq;*

**DN. CHRISTOPHORI MEICHSNERI,**

**Civis Mercatorisq; Vratislaviensium facilè Primarii,**

**Templi; ad D. Barbaræ Curatoris Meritissimi,**

**Vidua Derelictâ,**

*ad*

**Secunda Vota**

**ipsis Idibus Octobribus**

**Anni cDc Ioc LXXV.**

**Vratislaviæ**

*Solenniter transituro,*

**Secunda quæque**

**ex animi Sententiâ**

**ominantur**

*Utriusq; Lectissimi Comparis*

**Amici Candidi.**


1018 629

**VRATISLAVIÆ,**

**Littetis Heredum BAUMANNIANORUM**

**expresfit**

**Georgius Gröndler**



## Secundum Matrimonium

*Amici sui Singularis*  
ex animo Secundum esse cupit  
ELIAS THOMÆ.



Bdita qui Sophiæ referas penetralia, VIC-  
CI,

Præpositusque doces populum medicami-  
na mentis,

Dum repetis viduus concessi munus amoris,

Num precer, ut stabili tibi quæ modo fœdere jun-  
cta est, 1018429

Siderea Specie superet, pictumque laborem  
Zeuxidos, & cœlum Polycleti, artisque superbæ  
Omnia per captas quondam spectacula gentes,  
Atque tuos niveis accendat amoribus ignes?

An precer, ut gemmas, aurum, splendentia bysso  
Tegmina, purpureas vestes, & vellera serum,  
Fœminei decus eximium pompamque triumphi  
Spernat, magnificæ damnans impendia pompæ?

An



An precer, ut fuso medicatum exosa lebetem  
Afferat ingenuum pectus, niveumque decorem  
Mentis, & innocuos puro velamine mores?

An precer, ut varias operum se vertat in artes,  
Illius & sit nere labor, turgentia plena  
Ducere pensa colu, docto convolvare fusum  
Pollice, concinnam stamen torquere per ar-  
tem?

An precer, ut Phrygiam studeat pertexere telam,  
Historias animans per acum, rerumque labores,  
Et texens antiqua novis monumenta figuris,  
Exanimis faciat vivis contendere formis?

An precer, ut socios felix tecum exigit annos,  
Sæpius & pulchra faciat te prole parentem,  
Quæ recreet curis gravidum, domitumque labo-  
re!

Cuncta quidem voveo, tamen est pars maxima  
Voti,

Ut sibi Præpositum Te semper diligat unum,  
Seque probet populo morum probitate meren-  
tem,

Quam teneat calidis tam Clarus Pastor in ulnis.

Chri-



# Christo, nil triste, recepto.

**C**Hriste, maritorum spes & tutela piorum,  
Ad thalami, quæso, festa parata veni,  
Pronubus & Sponsis adsis, & pectora junge:  
Pectora si jungis copula firma manet.

Ac quamvis properent alii discedere amici,  
Tu præsto castis sis benedicque Gamis.

Vota valent: En Christus adest, adducit & umbras,  
Angelici cœtus agmina grata piis,  
Suscipe Convivam, Christi venerande Minister,  
VicI, cum Christo suscipis omne bonum.

Cedant jam tristes curæ, fors aspera cedat:  
Non locus adversis est, ubi Christus adest.

Sic mente amicâ novet

M. JOHANNES FECHNERUS.

---

**E**Rgo eluxisti tandem SCHROEERIDA  
Nympham  
Secubus in viduo, Vir Venerande, toro?  
Nempe suo veluti replet sola lumine Phœbus:  
Sic, Phœbes instar, lustrat Amica Lares.

Luna

Luna tamen Phœbo radians decus omne refundit;  
Ceu decus omne refert Uxor amata Viro.  
Et tibi par porrò SCHROEERIS in Orbe referret,

Tota suo si non lumine cassa foret.  
Hanc solata tamen tibi sunt duo sidera noctem,  
Facta tuis Helice & Cynosura bonis.  
Ast nova nunc oritur domui Phœbeia lampas,  
Quæ vultu longè splendidiore micat;  
In vacuefactum dum WAGENKNECHTIA  
lectum

MEISNERI præstans antè Marita, subit,  
Par proin esto & huic Phœbus, velut antè priori:  
Sic par Luna tuo luce erit usque toro.  
Nempe prior veluti Phœbo decus omne refudit:  
Sic hæc, ne dubita, prona refundet idem.  
Hinc tibi, quæ Phariis dudum contacta tenebris.  
Illustrata nitet luce recente domus.

*Gratulatus itaq, Syngamis his honoratisß.  
Ἰὸ Ὀγαπέῳ voveo ex animo*

JOHANNES GEBHARDUS,  
Prof. & Con-R. Elisabetanus.

*Rupta*

**R**upta semel, VICCI, vincla instaurare negasti,  
Post socio impatiens subdere colla jugo.  
Visus es & nobis jam Lege solutus amari  
Connubii, & licitas dedidicisse faces.

Quod neq; Summorum persuaserat Umbo Virorum,  
Calculus, Iliaci vis neq; dira mali;

Pignoris extorsit gemini pia cura, Levamen  
Nempe tibi, Matrem discupiensq; sibi.

Tandem dius Amor casti præcordia lunat  
PRÆSULIS, emittens spicula sancta Polo.

Annuit & Sponsi vota exorantis, & Ipsum  
Deinde vetat viduo secubuisse Toro.

Gemma sui Sexûs, Morumq; Smaragdus, acerbæ  
Gymnasiumq; Crucis, MEICHSNERIS illa  
venit.

MARTHA venit; venit Abigail Rachelq; Ma-  
rito

Cum Sophie spondens germina fructifera.

Venit ut, ut vidit dulcis Venerabile celi

Depositum, ut vicit grandis agonis opus.

Sed visam paribus Nimsam complectitur ulnis

PRÆPOSITUS, superans spes animosque  
soli.



Publica Sparta putà poscit res privaꝫ **MAR-**  
**THAM,**

Officio ut meliùs præsit utriꝫ Regens.

Fallor? An & medicam tibi Dilectissima Compar  
Sistit opem, sedans vulnera quæque Viri?

Te benè, **VICCIADÉ!** acclamat lætante Budorgis  
Voce Tibi, & plausu sidera celsa ferit.

Te benè, **VICCIADÉ!** acclamat Parnassia rupes,  
Cujus per terras pars numerosa cluis.

Sic **DOMINI** Bellis Te servant arma Tonantis,  
Degentem Pylis iustria serena Senis.

Sic felix placidusꝫ Tuæ, seclumꝫ propages,  
Et Cæjus vigeas, Cæjæꝫ fata beet.

**SPONSI Venerabilis,**  
**FAUTORIS** sibi sedulo Suspiciendi,

Honoribus Nuptialibus  
auspicato instauratis  
assurrecturus,

*L. M. Q.*

ex animi sententiâ  
gratulabundus  
profundebat.

**M. CHRISTOPHORUS POMARIUS,**  
Gymnasii Magdalenzii Conrector.

**VIC-**

**V**ICCIUS instaurat socialis fœdera Lecti,  
Præco Dei, sacro Præpositusque Gregi.  
Exemplô docet ille suô, non antefendas  
Conjugio vitæ liberioris opes.  
Unde novas semper vires Ecclesia sumit,  
Sit Myrtis semper dignus amore Torus.

*Gratulabundus L. M. Q.  
scribeb.*

**MARTINUS HANKIUS,**  
in Gymn. Elisab. Phil. Pract. Hist.  
& Eloqv. Professor.

---

**U**T venit in thalamum quam prudentissima Conjux,  
Multis Sponse modis de venerande, tuum:  
Sic tibi in amplexus sacra fortissimus Hector  
Militia optatò, Sponsa adamanda, datur.  
Qui bonus, hic dicat, factum bene. Trinus & Unus,  
Auctor Conjugii, prosperet omne Deus.  
Vivat præclarum par fove, nobile vivat  
Par sibi, par aliis vivat in orbe diu!

Pari excellentissimo *μυριομακαρομακεσβιοττα* pr.  
L. M. Q. scr.

**CHRISTOPH. Wimmer.**